



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

De Venerabili Eucharistiæ Sacramento Decisiones Theologico-Legales

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisionis LXII. Ad Decembris Casum additionalem. Argumentum. Disquiritur, Quomodo Anachoretæ, Eremitæ, aliqui homines solitarii, præsertim in fastissimis desertis, reciperent Sacram Communionem, ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94643](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94643)

secundum opinionem Augustini Bucii de *Modo preservandi à peste cap. 12.* Quod si tetigerit eosdem infectos manu, vel digitis; eosdem super flamma candelæ accensæ expurget, vel super prunis accensis. Justinian. ubi supra lib. 3. tit. 1. cap. 78. X.

- 36 Tandem cautela, & industria Parochorum, ac Confessariorum erit, constans repudiatio cujuscunque rei temporalis, à cujus contactu, lucri causa, mors inopinata evenit, juxta exemplum famuli cujusdam, de quo sic legitur in Vita R. P. Joannis Mariæ Montis rubei Congr. Oratorii Paduæ cap. 12. *Nella Peste del 1631. il P. Gio: Maria restò con un solo Laico in S. Tomaso alla cura delle*
- 37 *Anime. Fece di sè un' offerta à Dio, disposto ad aiutare chiunque lo chiamasse con li SS. Sacramenti, e pronto à morire di peste per ajuto delle Anime. Prohibè al Laico il prendere donativo alcuno grande ò picciolo, che si fosse. Ma detto Laico non seppe vincere l'interesse, prendendo di nascosto alcune cere d'un funerale di persona ricca, sepolta in S. Tomaso: onde supreso lui dal Contagio, & in breve vinto dalla morte.*

- 38 Corollarium loco in hac materia Pestis in controversiam cadit, an licitæ sint Processiones generales tempore, quo Pestilentia grassatur? Pro negativa facit, quia omnes tenentur cavere à periculo infectionis, quod in concursu populi videtur inevitabile. Item quia velle sanitatem obtinere per miraculum, omittis remediis naturalibus est Deum tentare, quod est peccatum, S. Thom. 2. 2. q. 97. art. 1. & 2. Sed inter cetera remedia naturalia contra Pestem est secessus, & fuga ab hominum consortio, ut dictum est supra. Ergo Processiones generales non erunt licitæ. Pro affirmativa facit, quia quod ab Ecclesia ordinatur, est licitum, Sed

- 40 in Romani Romano inter alias Processiones habetur illa tempore mortalitatis, & pestis. Ergo sunt licitæ. Ulterius non potest dici illicitum, quod à Sanctis viris fuit practicum. Sed S. Gregorius Magnus illas fecit tempore magnæ Pestilentie Romæ Card. Baron. anno 590. num. 12.

- 41 Item S. Herebertus Archiepiscopus Colonienfis. Gretserus de Processionibus lib. 1. c. 11. Item S. Gregorius Turonensis, ut narrat lib. 10. *Hist. cap. 29.* Item Concilium Constantiense, à quo statutum fuit deferri in Processione Imaginem S. Rocchi, & statim Pestis cessavit. Marchantius in *Horto Pastor. lib. 2. tract. 2. lect. 5. propos. 2. Vers. Illis verò sanctis.* Et habetur etiam in *Annot. Ad Martyrol. Rom. 16. Augusti.* Pariter S. Carolus Borromæus publicas Processiones instituit ad Deum placandum tempore Pestis. Jo. Petr. Jusian. in *ejus Vita lib. 4. cap. 1. & 2.* Et anno 1630. Mutinenses Processionum publicarum auxilio incolumes à Peste remanserunt. Marchin. de *Bello divino in princ.* Necnon Bononienses anno 1631. grassante sævissima Peste, indicta publica Supplicatione, & circumlata per Urbem devota Dei Genitricis Imagine, à S. Luca depicta, morbus evanuit. Sigonius lib. 1. de *Regno Ital.* Ergo Processiones tempore Pestis sunt licitæ. Examinat hanc controversiam P. Paulus Mar. Quartus in *tract. de Processionib. sect. 3. punct. 3. Circumstantia 7. Quæst. 3. pagin. 73.* Et eam dirimit ope distinctionis hujusmodi; videlicet, quod passim, & indiscriminatim non liceant; sed à S. Episcopis à Deo inspiratis possint licite indici cum debitis cautelis,

- 42 inter quas, quod pueri, & mulieres non interviant; has enim, & illos etiam S. Carolus exclusit; quod viri procedant bini, & bini, sed cum

distancia ab invicem majori solita. Et quod ante Processionem omnes excitentur ad poenitentiam, & ad fiduciam in Deum, exemplo dicti S. Caroli; de quo ulterius, dum Pestis Mediolani grassaretur, ait *Brev. Roman. lect. 5. Publica supplicatione indicta, fuit sibi ad collum alligato, nudis pedibus etiam, offendiculo cruentatis, Crucem bajulans, semetipsum pro peccatis populi hostiam offerens, divinam indignationem avertere satagebat.*

DECISIONIS LXII

Ad Decembris Casum Additionalem,

ARGUMENTUM.

Disquiritur, Quomodo Anachoretæ, Eremitæ, alique homines solitarii, præsertim in vastissimis desertis, recipere Sacram Communionem, tum in Vita, tum in morte? Declarantur varia genera Anachoretarum, & Inclusorum; necnon publicè Poenitentium, Lauritarum, & Eremitarum; & eorum omnium plurima exempla dantur ex historiis sacris, non sine magno labore collecta. Tandem resolvitur Quæstio sub triplici distinctione circa Communionem omnium prædictorum. Ponitur Epistola Illustrissimi, ac Reverendiss. Pompei Sarnelli Episcopi Vigiliarum de eadem Quæstione. Et explicatur, quomodo prædicti Solitarii, & Inclusi adimplebant præceptum de audienda Missa?

SUMMARIUM.

- 1 Inclusorum antiquitas tria genera.
- 2 Detrusio in Monasteriis fiebat ob gravia delicta ad agendam poenitentiam.
- 3 Detrusio Ecclesiasticorum in Monasteriis præcipue fiebat ob delicta carnis.
- 4 Trirrenium poena hodie est loco detrusionis in Monasteriis.
- 5 Poena pro delictis carnis est arbitraria.
- 6 Poenitentia publica quamvis olim esset?
- 7 Poenitentium publicè quinque erant gradus & qui?
- 8 Poenitentes publici erant etiam excommunicati.
- 9 Poenitentes publici fiebant irregulares, incapaces Ordinum, & Beneficiorum.
- 10 Poenitentium publicè exempla.
- 11 Poenitentium spontè in Monasteriis duo genera.
- 12 Episcopi aliquando eligebant sibi Monasteria amoris Poenitentia.
- 13 Conversi in Religionibus quare sic vocentur?
- 14 Ritus in dando habitu Poenitentia.
- 15 Cadavera Defunctorum quare vestiantur sæpe habitu religioso?
- 16 Pueri oblato Religioni per parentes.
- 17 Pueri oblato Religioni quando poterant discedere ab illa?
- 18 Professio regularis ex Concil. Trid. non potest fieri ante annum 16. completum.
- 19 Convertita possunt profiteri ante annum decimum sextum, & non completo anno Novitatus.

- 20 Convertitas expedit facere totum annum probationis ante Professionem.
- 21 Anachoreta unde dicti?
- 22 Laura. Laurita qui essent?
- 23 Anachoretarum, seu Inclusorum plura exempla.
- 24 Anachoretica Vita an sit perfectior Cenobitica?
- 25 Inclusorum extra Monasteria ordines duo
- 26 Inclusorum vita asperissima.
- 27 Eremita quinam proprie dicantur?
- 28 Mulierum inclusarum exempla.
- 29 Solitarii quinam essent? Eorundem exempla num. 30.
- 31 Solitaria vita, & Anachoresis moriva?
- 32 Solitarii quando relinquebant solitudinem?
- 33 Inclusi, Anachoretae, & solitarii quomodo recipiebant Sacram Eucharistiam?
- 34 Anachoretae, qui erant in lauris, singulis Dominicis diebus conveniebant ad Ecclesiam Monasterii, & communicabantur.
- 35 Inclusi non religiosi vivebant sub obedientia alicujus Superioris; à quo recipiebant Sacramentum praeipue tempore mortis.
- 36 Solitarii, & Eremita in vastissimis desertis stantes quomodo recipere Eucharistiam; tres opinioniones.
- 37 Solitarii, & Anachoretae in primis saeculis Ecclesia portabant secum Eucharistiae Sacramentum.
- 38 Eucharistia antiquitus conferebatur in panibus integris, & grandibus.
- 39 Solitarii tempore mortis visitati à Sanctis Viris.
- 40 S. Antonius Abbas portavit Sacram Eucharistiam S. Paulo primo Eremita.
- 41 S. Maria Aegyptiaca communicata à Zosimo Abbate.
- 42 S. Maria Magdalena à quo Sacram Viaticum acceperit?
- 43 S. Theodistes solitaria in Insula Paro, quomodo Communione refecta.
- 44 S. Ambrosius in morte visitatus, & communicatus ab Honorato Pervicellensi Episcopo.
- 45 Angeli Sancti pluries administraverunt Sacram Eucharistiam.
- 46 Exempla plurimorum, quibus SS. Angeli praebeverunt Sacram Communionem.
- 47 Solitarii cuicunque incogniti vix reperiuntur post quintum saeculum.
- 48 Hieronymus à Basilica Petri Sacerdos Congr. Oratorii Neapolis laudatus.
- 49 Pompejus Sarnellius Episcopus Vigilantium laudatus.
- 50 Epistola Pompei Sarnelli Episcopi Vigilantium de Communione Anachoretarum.
- 51 Anachoreta, & Inclusi quomodo adimplebant Praeceptum de audienda Missa?
- 52 Eremiticola antiqui ob bonam fidem excusabantur ab obligatione audiendi Missam.

CASUS ADDITIONALIS.

Satisfaciant Parochi, doctique Confessarii curiositati exquirentium, quomodo Sacram EUCCHARISTIAM recipere antiqui Eremitae, Anachoretae, Asectae, alique Inclusi in Cellis, in antris, in speluncis, in desertis, vastisque solitudinibus; in quibus toto vite tempore invisi, & incogniti stabant? Et quomodo iidem adimplerent praecceptum de audienda Missa festiviis diebus? Append. ad ornatum. Decis. de Venerab. Euchar. Sacramento. Dist. Clericali Tom. I. Lib. 11.

PRO curiosi hujus Quaestio decisionem, & resolutionem; materiam Eremitarum Anachoretarum, & Inclusorum altius petendo, scire oportet, antiquitus in Ecclesia fuisse tria genera Inclusorum; alii enim includebantur in Monasteriis; alii extra; sed propè Monasteria; & alii extra, ac longe; immò longissimè à monasteriis, aliorumque hominum conversatione; de quibus omnibus omni possibili brevitate, & claritate hic agendum.

Inclusorum primum genus erat eorum, qui in Monasteriis includebantur; horum autem erant tres species. Prima detrusorum ob gravia delicta: Secunda reclusorum ob assumptum statum Penitentiae, & Tertia Inclusorum ob majorem perfectionem, & rerum coelestium contemplationem. Prima itaque species erat eorum, qui detrudebantur in Monasteriis ob gravia delicta commissa; ut pro eis ibidem agerent penitentiam; & jejuniis, orationibus, aliisque poenalis operationibus impetrarent veniam à Deo pro criminibus patratis, sive fuissent Laici, sive Clerici, Sacerdotes, ac etiam Episcopi, cap. De lapsis 16. quæst. 6. cap. Sicut ubi gloss. 20. quæst. 1. cap. Si ille dist. 50. Delicta autem pro Laicis in Monasterio detrudendis debebant esse gravissima; ut habetur de Uxorica in cap. Admonere 33. quæst. 2. Nec non in Clericis, ut de homicidis, cap. Sicut dignum. §. Clericos. De homicid. & de frangentibus sigillum Confessionis cap. omnis utriusque sexus, in fin. de Penitent. & remiss. & de Latronibus, & consimilibus excessibus enormibus, cap. Tua 6. ubi Abbas, de Penitent. Præcipue tamen hæc detrusio imponebatur Ecclesiasticis ob delicta carnis, cap. Dictum, cap. Si quis Clericus, cap. Romanus, & cap. Si quis Episcopus, dist. 81. Hodie tamen hæc poena detrusionis in Monasterio recessit ab aula; & ejus loco pro gravibus delictis successit poena treremium, ut notat Jul. Clarus §. fin. qu. 70. vers. Sunt etiam, Farinac. in Praxi quæst. 119. num. 55. & Thesaur. de Penit. par. 2. Verb. Confessio 4. sub. n. 3. pro aliis autem excessibus; ac potissimum pro delictis carnis poena est arbitraria, ut testantur Canonistae, ac Criminalistae. Loter. de Re benef. lib. 3. q. 33. n. 37. per text. in cap. At si Clerici, ubi Decius n. 223. ac alii scribentes: De judic. Trivisan. in Decis. crimin. lib. 2. decis. 59. n. 13. & Chartar. decis. crimin. 82. n. 32.

Porro non omnes delinquentes, sive Clerici, sive Laici, etsi enormia commisissent delicta, detrudebantur in Monasteriis ad penitentiam agendam; sed ut plurimum eam exercebant in propriis domibus; ita tamen, ut festiviis diebus ad Ecclesiam accedentes cognoscerentur ab omnibus publicè poenitentes, & consisterent in gradu sibi per Episcopum præscripto, donec veniam, & absolutionem mererentur obtinere; ut habetur in cap. In capite Quadragesima, dist. 30. cap. de Viro. 22. quæst. 2. cap. Latorem 33. q. 2. & cap. ult. & ibi Gloss. 26. quæst. 6. ubi notatur, quod publica, & sollemnis poenitentia nulli injungebatur, nisi crimen esset enorme, ac manifestum. Quatuor autem erant gradus publicè poenitentium, ut ex Conciliis Ancyrano & Nicæno, ac ex SS. Patribus colligit Giballin, in tractatu de Asectis Inclusis disquis. 3. cap. 2. §. 6. n. 32. quinque verò secundum observationem Macii in Hierolexic. Verb. Hyemantes. Videlicet Plentium, Audientium, Subtratorum, Consistentium, & Participantium; de quibus etiam vulgari idiomate, sed non vulgari erudi.

ditione Menoch. in *Storis centur.* 12. cap. 52. Primus gradus erat *Flentium*, seu *Hyemantium*, qui manebant sub dio propè Ecclesiam, cilicio induti, humi prostrati, à fidelibus Ecclesiam ingredientibus veniam poscentes cum lacrymis de commissis scandalis. Secundus gradus erat *Audientium*; qui cum assignato tempore steterint lacrymantes in primo gradu; admittebantur intra Ecclesiam propè januam, ad audiendum verbum Dei, sed expellebantur tempore consecrationis. Tertius gradus erat *Subfractorum*, qui perseverantes in humili penitentia vocabantur coram Episcopo celebrante, vel Sacerdote, coram quo prostrati stabant, donec publicas preces, & orationes recitaret super illos ad implorandam misericordiam Divinam; quibus expletis exibat de Ecclesia. Quartus gradus erat *Consistentium*, qui ob diutinam penitentiam recepti in Ecclesiam, ibi consistebant cum cæteris fidelibus ad officia Divina, & sacrificium Missæ, sed ad Sacram Eucharistiam percipiendam non admittebantur. Quintus demum gradus erat *Participantium*; eorum scilicet, qui obtemperantes & absolutione, ac reconciliati cum Ecclesia iterum admittebantur ad Communionem Corporis, & Sanguinis Domini; ut laicius demonstrat Macer in *Hierolex. de Verb. Hyemantes*, & Giballin, d. *Disquis.* 3. cap. 2. §. 6. à n. 29. & sequentib. ubi observat; quod prædicti publicam penitentiam agentes ea durante, censentur affecti tum majori, tum minori excommunicatione, quia privabantur participatione Sacramentorum, orationibus, & consortio fidelium, ac etiam propriarum Uxorum; quod probat ex Tertullian. *lib. de Pudicitia*; ex S. August. *lib. de Fid. & oper.* cap. 6. necnon ex *Epistola* 92. S. Leonis Papæ cap. 12. & habetur in *supra cit.* cap. *Admonere*. 33. *quest.* 2. in quo Stephanus Papa Quintus cuidam Astulpho uxoricidæ præscribit omnia, quæ facere debebat, & à quibus abstinere pro illius criminis penitentia. Insuper prædicti publici Penitentes si essent in Monasterium detrusi, si vè publicam penitentiam domi suæ manentes agerent, non poterant ad Ordines Ecclesiasticos promoveri, quia erant irregulares ob infamiam, seu ob defectum bonæ famæ resultantem ex notorietate criminis: cap. *Maritum*. dist. 33. cap. *Præcipimus* dist. 34. cap. *Ex penitentibus* cap. *Quicumque* cap. *Si ille* cap. *Non confidat* cap. *Canones* dist. 50. cap. *fin.* dist. 51. cap. *Infames*. 6. qu. 1. Quod advertit Belletus *Disquis. Cleric.* par. 1. de *Discipl. Cleric.* §. 13. ac Thesaur. de *Pœnis* part. 1. cap. 33. *Vers. Tertio Penitentia solemnis*. Et multò minus ad beneficia admittebantur iidem publici penitentes, quinimò neque eorum descendentes saltem ex linea masculina. cap. *Ubiunque*, ubi *Glossa in Verb. Masculinum*. de *Pœnis* in 6. Quod quomodo procedat, declaratur à Rota p. 2. *recentior. decis.* 21. & plenè traditur à Loterio de *Re benef.* lib. 3. *quest.* 28. à num. 29. usque ad finem.

10 Ex his omnibus colligere debent Parochi, studiosque Confessarii differentiam nostrorum temporum, atque prætorum circa horrorem culparum, & amorem Penitentiae, quam etiam publicam, & solemnem sibi à Pastoribus animarum impositam amplectebantur peccantes, antequam absolutionem reciperent Sacramentalem, prout (cæteris omissis, de quibus Odoric. Rinald. in *suorum Anal. Indice Verb. Penitentia publica*) fecit

Theodosius Imperator tempore S. Ambrosii ob eadem Thessalonicensem; de qua Theodoretus *lib. 5. cap. 17.* & Card. Baronius *Anno* 390. num. 10. Item Imperator Philippus tempore S. Fabiani Papæ, de quo Eusebius Cæsariensis. *lib. 6. cap. 27.* & 29. & idem Card. Baronius *Anno* 56. num. 22. & *Anno* 249. num. 3. His similibus Petrus Comes Antiodorensis, deinde Imperator Constantinopolitanus, de quo Spondan. *tom. 1. Anno* 1204. num. 20. necnon Godefridus Dux Lotharingæ, cujus exemplarem compunctionem, & penitentiam describit antedictus Card. Baronius *Anno* 1047. n. 19. his verbis: *Contigit hoc idem anno, Hermannus, & Sigeberto testibus, incendium Viridunense, opera Godefridi Lotharingæ Ducis, desperatione rebellantis, ob sublatum sibi ab Imperatore Ducatum; Cum autem Dei Genetricis templum ibidem exustum fuisset: spontanea Penitentia ipse postea dignum reliquit exemplum; dum, quod ait Lambertus, publice se verberari fecit, & capillos suos, ne tonderentur, multa pecunia redemit, sumptusque ad reedificandam Ecclesiam dedit, & in opere cementario per se ipsum plerumque villis municipii ministerio functus deservivit, donavitque in perpetuum eidem Ecclesie quartam partem Comitatus sui Viridunensis. Equidem huic diebus gravia audiuntur crimina; sed nulla videtur Penitentia; adeo dicere possumus cum S. Augustino *tom. 10. Homil.* 49. loquente de ejusdem Theodosii penitentia; *Erubescit plebes, si vè negotiator, quod non erubuit Imperator.* Sed de his obiter.*

Secunda species eorum, qui detrudebantur in Monasteria, comprehendit personas, quæ ultrò assumebant statum Penitentiae, & hæc in duplici erant differentia; alie enim sui juris, & in ætate adulta, sæculo renunciantes, habitum Penitentiae induere, & in Monasteriis vitam penitentem facere volebant; alie vè in puerili ætate per parentes Deo offerebantur; de quibus fusi ait Giballin, d. *disp.* 3. de *Affectis Inclusis* cap. 2. §. 3. num. 16. & §. 7. per totum, & nos breviter hic.

Statum itaque Penitentiae eligebant tam viri, quam femine; tam Clerici, quam Laici, ac etiam aliquando Episcopi, de quibus loquitur Innocentius Tertius in cap. *Post translationem*. De *Renuntiat*. ubi casus enumerat, in quibus poterant Episcopi eundem statum Penitentiae deserre, & pristinam reassumere dignitatem, Ceterum sæculares erant personæ; & in statu laicali constitutæ, quæ ad effugienda mundi pericula, si vè respectu corporis, si vè respectu animæ, ut plurimum confugebant ad Monasteria, & in illis habitum Penitentiae assumebant, tamquam ad Deum conversæ; unde factum est, ut Religiosi, qui Claustra ingrediuntur, non ut ascendant ad ordines Sacros, sed ut ibi serviant, vocantur 13 Conversi, quales vocabantur prædicti Penitentes, ob eorum conversionem morum, de qua etiam in *Regula Sancti Benedicti* cap. 38. & cap. 60. & juxta eandem Moniales Benedictinæ, dum profitentur, promittere, ajunt *conversionem morum suorum*. Idcirco in Monasteriis erant antiquitus duo genera hominum, *Nutriti, & Conversi*. Illi erant, qui à puerili ætate, lacte religionis educati, perpetua vitæ innocentia erant spectabiles: isti vè, qui à medio cursu mundanorum bonorum, & sæcularium negotiorum, ætate, usu, & prudentia maturi, ad vitam Monasticam transibant; & quia hi ob experientiam rerum temporalium sæpè præciebantur rebus

rebus æconomicis, & durius agebant cum Nutritis, oriebantur jurgia inter utroque; ex traditis per S. Anselm. lib. de Similitud. cap. 78. Petrum Venerabilem in Statuta Cluniacen. cap. 66. & Hugonem Victor. lib. 4. de Claustro anima cap. 43.

Servabantur autem solemnes ritus in habitu Pœnitentiæ prædictis Conversis tradendo; siquidem Episcopus eos induebat cilicio, comamatondebat, humili veste cooperiebat, lustrali aqua aspergebat, statas preces cum manuum impositione recitabat, opera pœnitentiæ, jejunia, humicubationes, & alias corporis afflictiones injungebat, de quibus sparsim loquuntur varia Concilia Synodalia, collecta per eundem Giballin. d. Disquis. 3. cap. 2. §. 8. ubi num. 53. subdit: Non dubitavi tamen, aliquos in domibus privatis pœnitentiam professos fuisse eadem ratione, qua & Virgines, & Vidue, atque Canonicales vitam religiosam domi suæ extra Monasteria insituebant: quod multi faciebant in senectute, & morte adventante; ne absque pœnitentiæ ex hac vita discederent; juxta illud, quod canit Ecclesia fer. 4. Ciner. Immutemur habitu in cinere, & cilicio, jejunemus, & ploremus ante Dominum: Emen- demus in melius, quæ ignoranter peccavimus: ne subito præoccupati aie mortis, quaramus spatium pœnitentiæ, & invenire non possimus. Et quoniam prædicti pœnitentes sive in Monasteriis, sive in propriis domibus induti habitu pœnitentiæ, & cilicio, cum eodem sepeliebantur, hinc pius mos emanavit cadavera defunctorum vestiendi aspera Capuccinorum, seu Patrum Reformatorum tunica, aut Monialium S. Claræ; qui apud nos non raro servatur.

Impuberes etiam, ac pueri, qui à parentibus Deo oblati, receptierant in Monasteriis, ibidem debebant permanere, & vitam pœnitentem, ac religiosam assumere, ut habetur 20. qu. 1. cap. Ad didistis. cap. Monachum, & cap. Quicumque, ubi sic disponitur: Quicumque à parentibus propriis in Monasteria fuerit delegatus, noverit, se ibi perpetuo permanurum: nam Anna Samuelem puerum natum, & ablatum Deo cum pietate obtulit; qui & in Ministerio templi, quo à Matre fuerat deputatus permansit, & ubi constitutus est, deservivit. Quod confirmavit Concilium Tridentinum, relatum ead. 20. quæst. 1. cap. Quem progenitores, his verbis: Quem progenitores ad Monasterium tradiderunt, & in Ecclesia capit canere & legere, nec uxorem ducere, nec monasterium deferere poterit: sed si discesserit, re-ducatur; si consuram dimiserit, rursus tondetur; uxorem si usurpaverit, dimittere compellatur.

Porro hæc conciliares, ac canonice dispositiones intelligendæ sunt de filiis, qui cum ad annos discretionis pervenerint, ratam habuerint oblationem, de se Religioni per parentes factam; cui si noluerint consentire, poterant liberè discedere, ut fuit decisum per Sanctum Marcellum Papam in cap. Illud autem. d. 20. quæst. 2. sic scribentem: Illud autem statuendum esse censuimus, ut si in minori ætate filii monasterio oblati fuerint, & sacram Tonsuram, vel velamina susceperint; dignum quidem duximus, ut decimoquinto anno à Prelatis moniti inquirantur, utrum in ipso habitu permanere cupiant, an non? Si vero permanere professi fuerint, ulterius pœnitendi locum minime amplecti possunt. Sin autem ad secularem habitum reverti voluerint, redeundi licentia nullo modo denegetur, quia satis inutile est, ut con-

tra servitia Domino præstentur. Quod fuit confirmatum à Cœlestino Papa III. in cap. Cum sumus 14. de Regularib. ubi requisitus, quid agendum de puero Religioni oblato per ejus Patrem? respondit Discretionem tuam taliter respondemus, quod si dictus puer ad annos discretionis pervenerit, & habitum noluerit retinere monachalem; si ad hoc induci nequiverit, non est ullatenus compellendus, quia tunc liberum sibi erit, eum dimittere, & bona paterna, quæ ipsi ex successione proveniunt postulare. Hinc jure optimo, ad tollendos abusus, qui ex hac oblatione filiorum resultabant, statutum fuit à Sacro Tridentino Concilio sess. 25. de Regular. cap. 15. quod: In quacunque Religione tam virorum, quam mulierum, professio non fiat ante decimum sextum annum expletum, nec qui minori tempore, quam per annum, post susceptum habitum in probatione steterit, ad professionem admittatur. Professio autem antea facta sit nulla, nullamque inducat obligationem, ad alicujus Regule vel Religionis vel Ordinis observationem, aut ad alios quoscunque effectus. Quæ quidem ætas annorum sexdecim completorum ad profitendum in Religione adeò necessaria est, ut si unus, solus dies deficiat, professio sit invalida. Eminentiss. Cardin. de Luca in Annot. ad S. Concil. Trident. discurs. 39. num. 3. Exciipiuntur tamen ab hoc decreto Moniales Convertitæ, quæ profiteri possunt etiam ante expletum annum novitiatus, & nondum completo anno decimosexto ætatis suæ. Barbof. ad Concil. Trid. d. sess. 25. cap. 15. num. 35. & in summ. Apostol. Decis. collect. 230. num. 2. Antonell. de Regim. milit. Eccl. lib. 7. cap. 9. num. 9. & Nicol. in Flos. Verb. Convertitæ num. 10. Quod etiam de jure procedat, in facto tamen expedit, ut Convertita faciat annum probationis, & experietur statum illum religiosum, ne contingat post professionem, eam pœnitere, & totam vitam inquietam ducere. An autem expediat, offerre filiis impuberes Religioni, & eos Monasteriis tradere in pupillari ætate? disputant Canonistæ, ac Theologi, quos cumulat Sanchez in Decalog. lib. 4. cap. 18. à numer. 8. & seqq. & Giballin. dict. Disquisit. 3. de Ascetis Inclusis cap. 2. §. 3. à num. 16. & seqq. quem adire non pigeat studiosos; cum hæc satis esse debeant circa secundam speciem inclusorum in Monasteriis pœnitentiæ, ac religionis amore.

Tertia species erat illorum, qui Monasticam vitam amplexi, & in ea diu versari, desiderio contemplationis, & altioris perfectionis à superiore Monasterii licentiam impetrabant, se claudendi in cellulis, ubi omnino separati à conversatione hominum, ecclesiæ meditantes soli Deo uniti manerent; & hi vocabantur Anachoretæ: ab Ana, quod significat Sursum, ut notat Felin. in cap. 2. num. 7. De except. Et Choreuma quod interpretatur Canticum, ut ait Laurent. in Analib. Onomast. d. Verb. quali Cantantes Deo laudem in excelsis, elevati mente, & spiritu supra alios Monachos, & religiosos; unde scribit Isidor. lib. 1. de Ecclesiast. Offic. cap. 15. Genus est Anachoretarum, qui jam Canabiali conversatione perfecti includunt semetipsos in cellis, procul ab hominum conspectu remotis, nulli prebentes accessum, sed in sola contemplatione divina viventes. Quamvis Justinianus Imperator vocet Anachoretas quasi discedentes, & quiescentes: dum de Monachis

Cœnobiarchis loquutus, verba facit etiam de Anachoretis in *Authent. De Monachis. collat. 1. tit. 3. §. Cogitandum*, dicens: *Nisi tamen quidam eorum in contemplatione & perfectione degentes, vitam remotam habeant in hospitio: quos vocare Anachoretas, id est discedentes; & hesychastas, id est quiescentes, consueverunt tamquam à communione ad meliora exceptos. Ulterius prædicti inclusi dicebantur etiam Lauritæ; à Laura, quæ licet significet Conventum, ac Monasterium, ut demonstrat Macer in Hierolex. Verb. Laura; Giballio, d. Disquisit. 3. c. 3. §. 1. & Menochius in Storis part. 4. Centur. 8. cap. 54. propriè tamen importat cellulas separatas, in eodem Monasterio constructas, in quibus Religiosi eminentioris virtutis se includebant, ut magis orationi, ac penitentiae vacarent, quare de his ita ibidem loquitur Menochius: Quanto tocce al modo di vivere, di quelli, che habitavano nelle Laure, l'habbiamo assai chiaramente spiegato nelle vita di S. Eutimio Abbate, riferita dal Bollandi a 20. di Gennaio, dove nel cap. 15. Si dice, che S. Gerasimo fondò la sua Laura vicino al fiume Giordano, nella quale habitavano settanta Monachi, & in mezzo di essa edificò il Monasterio, nel quale dal principio della loro conversione stavano quelli, che si facevano religiosi, facendo vita commune; dal numero poi de quali il S. Abbate sceglieva alcuni, che nella virtù si erano maggiormente approfittati, e concedeva loro, che lasciato il Monasterio, si riducesero alle celle solitarie della Laura, per far ivi vita più ritirata & attendere più di proposito à gli spirituali esercizi dell' oratione, lectione, e contemplatione. Il vitto loro nelle celle non era altro, che pane, & acqua, e dattili; & in esse non mangiavano mai cosa cotta. Horum Anachoretarum, Celliotarum, & Lauritarum nonnulla exempla, ex SS. PP. antiquis deprompta recensentur à Giballino d. Disquisit. 3. cap. 3. §. 1. quibus addi possunt sequentia per me decerpta tum ex Vitis Patrum Occidentis, ac Orientis per Benedictum Gononum Monachum Cælestinum collectis; tum ex Ephemeridibus Sacris Hieronymi à Basilica Petri Sacerdotis Congreg. Oratorii Neapoli; videlicet: S. Montanus Monachus inclusus in Civitate Rhemensis in Gallia, qui prophetizavit nasciturum S. Remigium Episcopum, ex lib. 1. cap. 10. Histor. Rhem. S. Desideratus Presbyter inclusus in Monasterio Gordonensi Diocesis Cabilonensis, qui relatus fuit inter Sanctos à Joanne Papa VIII. S. Severinus, qui apud Lutetiam Parisiorum Monasticam vitam amplexus, ut multò facilius, ac liberius Divinis vacaret obsequiis & rerum cælestium contemplationi; cella ita se conclusit, ut omnium hominum convictum, & conspectum vitaret, ut habetur in Breviario Ecclæs. Parisiens. die 24. Novemb. S. Maxentius Monachus Pictaviensis inclusus, tempore Regis Clodovei anno 506. S. Barsanuphius Ægyptius inclusus in Monasterio prope Gazam, quem cum Episcopus voluisset videre, & jussisset rumpi murum cellæ, ignis exivit, à quo territi sunt demolitores, ut refert etiam Cardin. Baronius Anno 548. num. 14. S. Hostitius in Gallia pariter inclusus, vir magnæ penitentiae anno 570. ex Histor. Franc. lib. 6. cap. 6. D. Gregorius Turonensis. S. Findanus, genere Scotus, Monachus in Alemannia, qui inclusus per annos 22. vixit in austerâ penitentia, & obiit anno 800. clarus miraculis. S. Amnichadus Scotus, Monachus Fuldenfis, qui Deo servivit inclusus, Anno Domini 1043. post cujus mortem, in eadem cel-*

la Anachoretis duxit. S. Marianus Scotus Monachus Benedictinus, qui chronicon scripsit à creatione mundi usque ad sua tempora, obiit anno Domini 1086. & refertur inter scriptores Ecclesiasticos à Cardin. Bellarmino Anno 1083. S. Iveta Sanctimonialis, quæ fuit magistra S. Hildegardis & inclusa ob amorem contemplationis migravit ad Dominum anno 1136. B. Michael Monachus Camaldulensis inclusus in Eremitio Camaldulensi annis 15. inventor Coronæ Domini, quæ recitatur per 33. Pater, & quinque Ave, & pluribus est decorata Indulgentiis, obiit anno Domini 1522. Hi omnes apud d. Benedictum Gononum in Vitis PP. Occid. At ex Hieronym. à Basilica Petri die 10. Aprilis S. Paternus Scotus, de quo S. Petrus Damianus scribit, fuisse Monachum Benedictinum in Civitate Padeburna, aliàs Teuderio, qui inclusus in cella revelationem à Deo habuit, de futuro incendio per totam Civitatem ob criminum immunitatem; fecitque prædicare penitentiam, sed absque fructu; idcirco anno 1058. die Veneris ante Dominicam Palmarum ignis Divinæ ultrix Justitiæ Urbem exarsit, ac totum Monasterium, ejusque cellam, à qua voluit exire, ut cum aliis, & pro aliis penam incendii sufferret. Si quis alia inclusorum Monachorum exempla desiderat, ea facile inveniet in Vitis Sanctorum, & præcipue Monachorum Cartusianorum, & Eremitarum Camaldulensium.

Sed hic non inelegans succedit quaestio, an vita Anachoretica sit perfectior Cœnobitica? Pro favore Anachoreticæ vitæ facit ratio; qua diximus, cum Monachi prius conversati essent in Monasterio longo tempore, de superiorum licentia ad Anachoretis, & inclusionem in cellis transibant, desiderio majoris sanctitatis. Ergo vita Anachoretica est sanctior, & perfectior, quàm sit Cœnobitica. Et contra hanc non esse inferioris sanctitatis ex eo demonstratur, quod Christus Dominus jussit Divo Petro in signum præcipui amoris, ut oves suas pasceret; Eliam ex eremo Spiritus sanctus ad turbas edocendas vocavit; sanctumque Joannem Baptistam ad prædicandam Penitentiam; & Jonam, qui hoc officium detestabatur, naufragio peribit. Pro utraque opinione plurium SS. Patrum argumenta, & encomia cumulat Giballio, d. Disquisit. 3. de Ascetis Inclusis cap. 1. §. 6. & de excellentia utriusque vitæ disquisit S. Thom. 2. 2. quæst. 188. art. 8. Caterùm dirimitur controversia ope distinctionis. Vel enim vita Anachoretica consideratur in se, & quia supponit sufficientiam omnium virtutum in Anachoretâ, est perfectior altera. Aut consideratur in homine, quatenus tendit ad perfectionem; & vita Cœnobitica est perfectior, quia est securior, & utilior; tum ad illuminationem intellectus, tum ad exercitium virtutum, quæ per præcepta superiorum, & per exempla æqualium magis, ac magis acquiruntur. Hinc illud: Melius est duos esse simul, quàm unum; habent enim emolumentum societatis suæ, si unus ceciderit, ab altero suscipitur. Væ soli, qui cum ceciderit, non habet sublevantem se. Eccl. 49. & hæc omnia dicta sunt de primo genere Inclusorum in Monasteriis, sive ob publicam impostam Penitentiam; sive ob statum Penitentiae ultra assumptum ab adultis abrenunciantibus sæculo, aut ab impuberibus per parentes oblatis; sive per Monachos diu in

Cænobio versatos, & ad Anachoretism strictiorem, per inclusionem in Lauris, cellulivæ, ob amorem altioris contemplationis transeuntes.

Secundum genus inclusorum erat illorum, qui extra Monasteria, sed non longè ab illis, eligebant sibi locum ad habitandum, in quo clausi per totam vitam permanebant. Horum duo erant ordines. Unus plurium Monachorum ejusdem Cænobii, qui ad pene placitum superioris egrediebantur ad Lauras, idest ad Cellas non multum distantes, ut ibi orationi, & contemplationi impensius vacarent. Alter aliquorum piorum hominum, qui post longas peregrinationes, à Deo inspirati secessum propè aliquam Basilicam, vel religiosam domum eligebant, & ibi sub obedientia Episcopi, aut alterius Superioris Ecclesiastici vivebant inclusi. De primis fusè loquitur Giballin. d. *Disquisit.* 3. cap. 3. §. 2. testimonia plura adducens antiquorum Scriptorum; inter quos Palladius Galata. cap. 69. ait de illis: *Degunt in multa quiete unusquisque per se inclusus; itaut non nisi in Ecclesiis, & in Synaxi se videant;* ad eam enim accedebant omnes die Dominico, ut testatur *Rufinus Presbyter*, (qui vivebat anno Domini 300. teste Cardin. Bellarm. de Scriptor. Eccles.) in sua Histotia cap. 22. *Singuli per cellulas commanent, silentium ingens, & quies magna inter eos. Die tantam Sabbati, & Dominica in unum ad Ecclesiam eorum, & ibi semetipsos in vicem tamquam celo redditos vident.* Subdit autem Giballin. d. §. 2. n. 11. de iisdem inclusis: *Nunquam porro alterius cellam invisiunt, nisi duplici ex causa, prima est agri visitandi, & sublevandi; ubi enim aliquem a conventu, & Synaxi abesse vident, illum inaequalitate aliqua corporis decernunt suspicantur, & ipsum omnes visitant; non tamen simul, sed suis singuli temporibus, & qua levando agro faciunt, conferunt. Altera causa est, ut illos verbo instruerent, & velut athletas in agone positos sermonis consolatione perurgere possent.* Profectum postea n. 17. narrare vitam asperam, & duram, quam prædicti Monachi inclusi debebant in cellis, quibus non erat secundus amicus; sed stratum stipes, ac vestis centaurium, atque embryum, idest grossiores papyri in longos, gracilesque fasciculos coaptatæ ad sedendum, & dormiendum, quas Monachos decebat habere, ut constat ex *Cassiano collat.* 1. cap. 23. Talis erat primus ordo Inclusorum ægentium penès Monasteria.

Alter ordo erat illorum, qui vel ad servandam vitæ innocentiam, sic à Deo inspirati, non longè ab Ecclesiis, vel Monasteriis se includebant in aliquo Eremitotio, seu parva domuscula sub regimine, & obedientia alicujus Patris spiritualis; vel qui post multas peregrinationes, & discrimina mundi, eandem inclusionem eligebant, ad penitentiam agendam, & hi propriè dicebantur Eremitæ. De primis exemplum habemus in S. Nilamone incluso in parva casa penès Oppidum Geras, qui electus Episcopus, recusans ob humilitatem Pastorale fastigium, mortem à Deo orans petiit, & obtinuit, ut ex Nicephor. *Hist.* lib. 13. cap. 17. Cardin. Baronius anno 403. num. 32. & Gonon, in *Vitis P. P. Orientis* pag. 84. Item in Sancto Martiniano Eremita, cujus vitam transcribit *P. Petr. Ribadeneira in Extravag. die 14. Februar.* Item in B. Rainerio tempore Innocentii Papæ III. incluso sub obedientia Episcopi Osnaburgensis, in Vestphalia, de quo *Hier. à Basilica Petri in Ephemer. Sacr. die 11. Aprilis.* Item in S. Lupicino,

de quo ex S. Gregorio Turonensi Gonon, in *Vitis P. P. Occiden.* pag. 62. Item in B. Joanne Presbytero incluso, de quo ex eod. S. Greg. idem Gonon. pag. 447. Item in S. Eparchio pariter incluso in Aquitania propè Urbem Eugolisam per annos quadraginta; qui migravit in Cælum anno 583. ut scribit idem Gonon. pag. 428. De Sanctis Forminis autem plura, & quidem mirabilia inclusionis exempla Lector curiosus poterit haurire ex prædictis *Ephemeridib. Sacris Hieron. à Basilica Petri*, & præcipuè in *Vitis* ibi per eum exaratis B. Ivettæ 12. *Januar.* B. Azecke 26. *Januar.* S. Dominæ 14. *Februar.* B. Gemma 13. *Majæ*, & S. Paulinæ inclusæ, de qua antedictus Gonon in *Vitis P. P. Occid.* pag. 120. & S. Wiboræ pag. 448. De secundis autem conferunt testimonium *Vitæ B. Moyfis Anachoretæ* viri magnæ penitentiz, de quo Ribadeneira in *Extravag. die 28. Aug.* & S. Drogonis nati in hoc mundo absque Patre, & absque Matre, quia fuit filius posthumus, ejusque mater obiit in partu, & ipse extractus fuit ex latere ejus, cujus mirabilem vitam narrat idem *Hieron. à Basilica Petri die 16. Aprilis.* Alia exempla inclusorum tam virorum, quam mulierum refert Raderius 3. par. *Viridw. cap. 5.* & Giballin. de *Affectis Inclusis d. Disquisit.* 3. cap. 4. §. 2. ad quos Lector recurrit.

Tertium tandem genus Inclusorum eorum est, qui secedebant extra, ac longè, immò longissimè à Monasteriis, aliorumque hominum conversatione, idest in desertis, & vastissimis solitudinibus, in quibus reperientes antia, speluncas, aut monumenta, in eis se includebant. Et hi propriè vocabantur Solitarii. Horum primus fuit S. Paulus, idem nuncupatus primus Eremita, qui anno Domini 253. cum esset viginti trium annorum, transivit in Eremum, in quo annis nonaginta solitarius Deo servivit, nutritus medietate panis unius, quem Corvus ei afferebat usque ad annum Domini 343. in quo Dei jussu visitatus à S. Antonio Abbate, (qui pariter anno 268. in sepulchro sibi domicilium elegerat, & anno 285. in desertum, relicta patria, secesserat) migravit ad Dominum, ut ad dd. annos refert Emin. Card. Baronius, quorum sanctorum Eremitarum exempla secuti jugiter fuerunt plurimi servi Dei; de quibus sic testatur S. Hieronymus in *Vita S. Pauli cap. 5.* his verbis: *Jesum testor, & Sanctos Angelos ejus, in ea Eremitæ parte, qua juxta Syriam Saracenis jungitur, videri me Monachos, de quibus unus triginta jam per annos clausus, hordeaceo pane, & lutulenta aqua vixit; alter in cisterna veteri, quam Gentili sermone Syri cubam vocant, quinque caricis (idest sicabus aridis) per singulos dies sustentabatur.* Lustravit autem S. Hieronymus ea deserta Syriæ anno Domini 378. Et de hujusmodi Anachoretis inclusi in desertis, ac montibus inaccessis fusè scripsit Theodoretus in suo Philotheo relatus inter Scriptores Ecclesiasticos ab Emin. Cardin. Bellarm. anno 430. Et prædictis proximus fuit S. Onuphrius, de quo Martirol. Roman. 12. Junii sic ait: *In Agypto S. Onuphrii Anachoretæ, qui in vasta Eremo sexaginta annis vitam religiosè peregit; & magnis virtutibus, ac meritis clarus migravit in cælum, cujus insignia gesta Paphnutius Abbas conscripsit.* Paphnutius hujus Abbatis iter per desertum, in quo alios Anachoretas à multo tempore inclusos reperit, narrat in ejusdem S. Onuphrii vita P. Alexius

Se-

30 Segala in *Catena aurea* pag. 369. Plures pariter Anachoretæ solitarii commendantur in Mariyrologio Romano, inter quos SS. Gerasimus die 5. Martii, Zosymus die 4. Aprilis, de quo Justinianus Imperat. in cit. *Authent. de Monachis collat. 1. tit. 5. §. Sancimus*, ita loquitur Zosymus, Deo amabilis, Vir famosissimus in conversatione, & prope vicesimum, & centesimum ætatis agens annum: pollens autem & animi virtutibus, & corporis operationibus, tanta quadam in eo gratia Dei floret. Item Barsanuphius die 11. Aprilis, Bessarion die 17. Junii; quibus addenda mulier insignis pœnitentiæ sancta Maria Egyptiaca, quæ annos quadraginta septem in Eremitio consumpsit, neminem videns, ut legitur in ejus vita apud Ribadeneiram in *Extravag. die 11. Aprilis*, & apud Vorag. pag. 43.

Porro non in Oriente tantum Anachoretæ fuerunt in solitudinibus commorantes: sed etiam in Occidente, ut probat Giballin. d. *Disq. 3. cap. 4. §. 1.* ubi ex Sulpitio Sever. *Dial. 2.* refert S. Martinum, qui obiit anno 402, voluisse visitare Virginem quamdam in desertis Galliarum inclusam, à qua fuit omnino repulsus, summa ejus ædificatione; & S. Eucherius Senatorio genere nobilem, diu in agro suo super fluvium Durantiam intra septa speluncae conclusum latuisse, donec divino monitu quasi effracto muro speluncae vi abductus consecratus fuit Episcopus Lugdunensis anno 435. Et de aliis pluribus inclusis in Anachoreti scripsit S. Gregorius Turonensis tum in *Hist. Franc.* tum in *lib. de Vitis Patrum*, & tamen ipse obiit anno 596. Idemque in reliquo Occidente narrat Author *Opusculi de Vita Eremitica ad Sororem* inter opera S. Augustini. His jungere liceat vitam S. Hervæ Eremitæ, cujus Mater defuncto Rignio marito, se liberam sentiens, relictis omnibus facultatibus, ad desertum evolavit, ubi pluribus annis Deo servivit; Ulphredo viro optimo de ea tantum notitiam habente; qui tandem ad illam conduxit Hervæum factum adulum; cujus exemplo inflammatus secessit & ipse in horrendum quoddam desertum juxta Lixenam fluvium, ut in *Vitis SS. Patrum Occidentis* narrat citat. Benedict. Gononius Monach. *Cœlestin. lib. 2. pag. 115.* apud quem in *part. 2. Insign. Eremit. Orientis pag. 72.* legitur etiam mirabilis Vita Virginis Theoctistes, quæ vitam Anachoreticam triginta quinque annos duxit in Insula Paro, lupinis, & herbis nutrita, quibusvis personis incognita, donec appropinquante morte, Deo ita disponente, fuit à Venatore quodam reperta; ut infra referam circa ejus Communionem.

Hujusmodi autem Anachoretis, & totalis solitudinis multa motiva colligit Giballin. in *Disquis. 3. cap. 4. §. 3.* quorum præcipua erant timor persecutionum, quarum declinandarum causa in primis Ecclesiæ sæculis fideles ad desertum confugebant, ut legitur in Vita Sancti Pauli primi Eremitæ, & S. Antonii Abbatis. Item amor servandæ castitatis præsertim in Virginibus, quarum plurimas in antris, & specubus inclusas ad evitanda conjugia, narrat idem Giballin. d. *cap. 4. §. 3. num. 8.* inter quas Agnes Virgo Hispana, quæ Valentis concionibus Sancti Vincentii Ferrerii ad amorem castitatis accensa, ne Sponsio traderetur virili habitu profugit, atque in specie juxta Monasterium Carthusiense, quod Portam Cœli appellant,

viginti annos sanctissime vixit, soli Deo, & consiliis nota, variis post mortem illustrata prodigiis. Item compunctio cordis, & desiderium agendi pœnitentiam pro peccatis commissis; & de hoc motivo innumera sunt Sanctorum exempla, quorum lepidum quidem illud, quod scribit Raderus 3. *part. Viridar. cap. 5. §. 9.* de duobus histrionibus, quorum unus, ut facinororum suorum pœnitentiam lueret, in cavernam medio in nemore se recepit, à qua post aliquod tempus collusor suus suadebat exire; at ipse salutem animæ dicti sui collusoris satagens, nec valens eum inducere ad pœnitentiam, exivit e caverna, fingens ad mundum reverti; sed paulo post simulans reliquisse in caverna crumenam pecuniarum plenam socium collusorem in eandem per funem dimisit, & statim os cavernæ claudens, veli, noluit, age & tu pœnitentiam culpæ tuarum; quam Deo inspirante, tandem fuit amplexus. Amor denique solitudinis, & contemplationis rerum cœlestium alios sanctos viros ad Anachoretismum augebat; & ut mundi illecebras fugerent, seque dignos æternæ salvationis redderent; siquidem ut ait Sanctus Ambrosius de *fuga sæculi cap. 1.* Quis inter tot passionibus hujus corporis, inter tantas illecebras hujus sæculi, tutum, atque intemeratum servare potest vestigium? Respexit oculus, & sensum mentis evertit: audivit auris, & intentionem inflexit: inhalavit odor, & cognitionem impedivit: os libavit, & crimen reddit; tacitus comigit, & ignem adolevit.

Illud tamen non est omittendum, plurimos Anachoretas reliquisse solitudinem ob majorem Dei gloriam, & proximorum auxilium; vel ad fidem defendendam contra hæreticos; vel ut monita salutis peccatoribus darent, vel ut obedientiam erga superiores suos, & præcipue Ecclesiarum Episcopos probatam facerent; quamvis aliquando ex humilitatis impulsu resistebant, dum ex spelæis, & inclusis suis evocabantur, ut promoverentur ad Ordines, aut ad Ecclesiasticas dignitates, ut de S. Nilamone & de S. Eucherio diximus supra, & observat Giballin. d. *Disquis. 3. cap. 4. §. 6. num. 28.*

His ita constitutis pro intelligentia questionis propositæ, nunc deveniendum est ad ejus decisionem; & declarandum, quomodo prædicti Inclusi, & Anachoretæ recipient Sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum; quod quidem facile enucleabunt sequentes conclusiones.

Prima conclusio. Inclusis in cellis existentibus intra septa Monasteriorum absque dubio porrigebatur Sacra Synaxis à Sacerdotibus ejusdem Monasterii de mandato Superioris; sub cujus obedientia vivebant in omnibus, & præcipue in Sacramentorum participatione, quamvis essent Sacerdotii ordine insigniti. Hinc in Regula S. Benedicti ad *cap. 60. De Sacerdotibus, qui voluerint in Monasterio habitare*: ita declaratum est à Congregatione Casinensi n. 3. Prohibemus etiam præfatis Sacerdotibus celebrationem Missarum per aliquod tempus arbitrio Abbatis, ut ex hoc eorum humilitas comprobetur; & tunc ipsi communicent cum Clericis.

Secunda conclusio. Anachoretæ, qui solitariam vitam faciebant in Lauris, id est in cellulis non longe à Monasteriis ædificatis, conveniebant ad Ecclesiam diebus Dominicis, in qua simul Divinum officium recitabant; deinde spirituales hortationes audiebant, simulque de virtutibus Christi

Christianis agebant, deinde Missa celebrabatur, in qua omnes Communionem Sacram recipiebant. Hoc ex S. Cyrillo, Ruffino, & Palladio probat Giballinus de *Ascetis* d. *Disquis.* 3. c. 3. §. 2. & de his nulla extat dubitandi ratio; vivebant enim omnes sub obedientia Superioris Monasterii, quamvis extra illud commorarentur præsertim circa sumptionem Corporis, & Sanguinis Domini; & ideo in Vita S. Moysis Anachoretæ refert Ribadeneira in *Extravag.* 28. Augusti eidem à S. Isidoro Abbate post superatas plures diaboli tentationes fuisse concessum, ut Communionem Sacram frequentaret.

Tertia conclusio. Inclusi extra, sed propè Monasteria, seu Ecclesias, qui vitam Monasticam non erant professi, neque votis Religionis adscripti, vivebant tamen sub obedientia vel Episcopi, vel alterius Patris spiritualis per Episcopum ei assignati; & ab illo regebantur quo ad animam, & per consequens circa frequentiam Sacramentorum; quæ illis dabantur ad ejus præscriptum per feneſtellam. Tempore autem mortis non deerat, qui omnia Sacramenta, aperto cellæ ostio, ministraret incluso; ut legitur de S. Ivetta die 13. Januarii apud Hieronym. à Basilica Petri in *Ephemerid. Sacris*, ubi num. 32. De Abbate Joanne ita scribit: *Questo venerabile Abbate, intesa la infermità d'Ivetta fece rompere il muro, che impediva l'ingresso nelle celle; entro dentro, la visitò al suo povero letto, udì la di lei confessione, &c.* Idem habetur in Vita Sanctæ Paulinæ inclusa, quam ex Trithemio Abbate transcribens Gonnarus in *Vitis PP. Occident.* pag. 120. ita ait de illa: *Demum præfatus suum obitum, graviter egrotare cepit. Aderant autem huic egrotanti Wernerus filius ejus, Monachus Monasterii Hirſang, Gerungus Abbas primus cellæ hujus Sanctæ Maronæ, etiam Monachus dicti Monasterii, cum ceteris fratribus multis. Qui celebratis Missarum solemnibus in loco, ubi egrotabat, eique Sacrosanctum EUCHARISTIÆ præbentes Sacramentum, ejus transitum Domino commendarunt.*

Quarta conclusio. Tota difficultas restringitur ad illos Anachoretas, qui vastissimas solitudines intrantes, & ignota nemora, ac secretas sylvas adeuntes; ibi toto spatio vitæ suæ herbis, & aqua visitantes incogniti omnino vivebant, de quibus S. Hieronymus, Theodoretus, Palladius, ac alii Scriptores antiqui, quos recenset Giballinus. d. *Disquis.* 3. cap. 4. §. 1. & 2. Circa istos dico tria: Unum, quod eorum plurimi secum sacram Eucharistiam deferabant, & devotè conservabant. Alterum, quod appropinquante eorum obitu, mittebantur à Deo alii Sancti homines, Eucharistiam secum habentes; quam morti proximis ministrabant. Tertium, quod Angeli plerumque hoc Sacrum Ministerium explebant.

Circa primum dictum; credibile est, quod in primitiva Ecclesia illi, qui ad declinandas persecutiones, vel amore solitudinis ad desertam transibant, portarent secum divinisimum Eucharistiæ Sacramentum; ut dixi supra decis. 19. num. 5. & decis. 29. num. 4. & testatur Card. Baron. in *Notis ad Martyrol. Roman.* 15. Augusti Verbo Sacramenta portantem, sic scribens: *Non est quod mireris, cum audis Acolythum Christi Corporis Sacramenta portantem: olim etenim ingruentibus in Christianos persecutoribus, laicis etiam Doct. Clericali Tom. I. Lib. II.*

domum ferre Eucharistiam, certis diebus sumendam quod non esset liberum, cum vellent ad Ecclesiam convenire, ac Synaxim celebrare) permissum erat. Id habet ex Tertullian. lib. 1. ad Uxorem. Cypriano lib. 1. de lapsis. Clem. Alex. lib. 1. Stromat. atque aliis. Quod autem magis mireris illud est; quod reddita pace Ecclesia, sub Christianis, atque orthodoxis Imperatoribus idem usus diuturnus aliquandiu permansit. Habes de his complura exempla, ut ex Gregor. Nazianz. oratione in Laudem Gorgonie. Hieronym. Apolog. pro libris adversus Jovinianum ad Pammachium, cum ait, quod in Ecclesia non licet, nec domi licet. Ambrosi. in oratione in funere fratris Satyri: & ante hos S. Basilii eadem scribit ad Cæsaream Patriciam de perceptione Sacramentorum his verbis: *Tempore persecutionis cogi quempiam, absente Sacerdote aut ministro Communionem sua manu sumere minime absurdum esse, supervacuum est ostendere: cum ejus rei etiam longa consuetudo rebus ipsis fidem faciat. Nam omnes, qui per solitudines, (notentur hæc verba S. Basilii) Monasticam vitam agunt, ubi non adest Sacerdos, cum domi Communionem habeant, per se ipsos accipiant. Et prosequitur Card. Baronius ostendere hunc usum durasse in Ecclesia Occidentali utque ad tempus S. Hormisdæ Papæ, qui obiit anno 523. In Orientali autem diutius viguisse. Igitur cum per ea sæcula mos esset conservare Eucharistiam non in tenuioribus particulis, ut fit modo, sed in panibus integris, & grandibus, prout probavimus supra decis. 14. n. 8. & decis. 56. num. 1. deducitur ex hoc, Anachoretas ituros ad desertam prius panem consecratum secum assumere, tenere, & de eo juxta suam devotionem comedere solitos fuisse per longum tempus; quod admittit Macer. in *Hierolex. Verb. Viaticum* col. 4.*

Circa secundum dictum; quod tempore mortis Sanctorum Eremitarum, & inclusorum in desertis, pii, religiosique homines, eos Spiritu sancto movente, ac dirigente, accederent ad eosdem visitandos, & juvandos, illisque sacram Eucharistiam portarent, probari potest exemplo S. Pauli Primi Eremitæ, qui cum in Eremitæ spelunca vixisset usque ad centesimum, & decimum tertium annum, eo tempore ab Antonio nonagenario Dei admonitu inivit, ut haberetur in *Brev. Rom. lect. 4.* Necnon Sancti Felicis Presbyteri Nolani; qui è carcere ab Angelo nocte adductus, querere jussus est Maximianum Nola Episcopum, qui cum senio confectus desperaret, se ferre posse supplicia persequentium, se abdidit in sylvam; ut legitur in eod. *Brev. Rom. 14. Januar.* Quod autem S. Antonius Abbas portaverit sacram Eucharistiam Divo Eremitæ Paulo, & S. Felix Maximiano Episcopo; persuasum esse debet ex motivo, propter quod cælius movebantur ad eos morituros juvandum; opus enim erat eis Sacro Viatico, quod ipsi secum habere solebant illis temporibus. Uterius frequenter legitur, quod in prædictis visitationibus habebantur Gratiarum actiones, ut in *Vitis SS. & in lect. 5. Breviarii de S. Paulo primo Erem.* At appellatione Gratiarum actionis venit Eucharistia, ut dictum est supra decis. 1. num. 5. & ex Epist. S. Ignatii Martyris ad Ephesios probat Ciampinus de *Azmo* cap. 7. num. 6. Vers. *Hic ritus.* Et hoc tangit infra in sua Epistola Illustrissimus Sarnellius Episcopus Vigiliarum. His addendum exemplum S. Mariæ Egyptiæ, de qua supra num. 30. ad quam divino instinctu cum pervenisset S. Zosimus Abbas, sic ab eadem fuit exoratus: *Obsecro te, ut in die Dominica Cenæ ad Jordanem redeas,*

Z

& Cor-

& Corpus Dominicum tecum seras. Ego ibidem tibi occurram, & de manu tua Corpus Sacrum suscipiam; nam à die, qua huc veni, Communionem Domini non accepi. Illam igitur anno sequenti Abbas Zoly-mus communicavit, ut prosequitur narrando Jacob. Vorag. Archiepisc. Januen. in ejus Vita. Et Jo. Bonifacius Bagatta de Admirandis orbis Christiani
 41 tom. 1. lib. 2. cap. 4. §. 3. num. 84. ubi illud portentum subdit de eadem Sancta Maria Aegyptiaca, dum idem Abbas Zosimus pervenisset cum Eucharistia usque ad Jordanem; & quomodo transiret ad oppositam ripam, ubi à Sancta expectabatur, ignoraret: Ecce Sancta Fanitens, inquit, signo Crucis rapidum flumen super aquas transiit; sumptaque Sacra Eucharistia, iterum super aquas ad Eremum est regressa. De S.
 42 Maria Magdalena pariter legitur, quod triginta annis steterit in Deserto, sed tempore ejus mortis accessit ad eam Sanctus Episcopus Maximinus, & ab eo Viaticum Corporis, & Sanguinis Domini recepit. Vorag. Ribadeneira, & Vigliegas in ejus Vita 22. Julii. Conforme est aliud etiam exemplum Sanctae Theotistes, de qua supra decis. 43. num. 3.
 43 ejus vitam ex Simeone Metaphraste (qui floruit paulò antè annos Domini 859.) transcribit præfatus Gononius in Vitis Eremitarum Orientis pag. 72. in qua refertur, post annos triginta septem, in Insula Paroah eadem Sancta Anachoreta omnino incognita transactos, nobilem quandam Venatorem Cretensem, Dei impulsu ad eam pervenisse; quæ
 44 narravit, quomodo, & quando dictam Anachoretissim suscepit; deinde illum ita rogavit: Peto autem, ut una in re mihi gratificeris propter Dominum. Quando anno sequenti navigaturus es in hanc Insulam venandi causa, ut in Vase mundo mihi accipias unum ex interemeratis donis Corporis Domini Nostri IESU CHRISTI: ex quo enim hanc habitaculi solitudinem, tali dono nequaquam sum dignata. Id quod peregit bonus ille Venator sequenti anno; subdit enim auctor Vitæ de ipso: Ego autem eduxi de sinu meo Pyxidem cum Carne Domini. Cum illa autem in terram cecidisset, divinum donum accepit, & lamentationibus, ac lacrymis terram rigans dixit: Nunc dimittis ancillam tuam Domine. Quoniam viderunt oculi mei Salutare tuum. Quoniam remissionem peccatorum in manibus accepit. Nunc abibo, quò tua me jubet potentia. Et non multos post dies expiravit. Eandem vitam Italico Idiomate, & eleganti methodo scribit R. P. Carolus Gregorius Rosignelus Societ. Iesu in libello la Pietà osssequiosa, in festo SS. Sacramenti. Irrefragabile est etiam exemplum S. Ambrosii Archiepiscopi, & Ecclesiæ Doctoris, de quo egrotante ita testatur Brev. Roman. 7. Decembr. lect. 6. Ad quem egrotum Honoratus Vercellensis Episcopus, Dei voce ter admonitus accurrit; eique Sanctum Domini Corpus præbuit: quo ille sumpto, conformatis in Crucis similitudinem manibus, orans animam Deo reddidit.

Non absimile est exemplum S. Mare Abbatis ad quem nonagenarium, & per annos XXXVII. inclusum, ut scribit in suis Ephemer. Hieron. à Basilica Petri die 25. Januar. num. 3. cum pervenisset Theodoretus Episcopus Cyri, litavit super manibus Diaconorum, & S. Seni Abbati Sacram Eucharistiam dedit. Alia passim exempla reperiuntur in vitis SS. Eremitarum, de quibus Surius, Lippomanus, & alii.

Circa tertium dictum; quod plerumque San-

cti Angeli ministraverint Sacram Eucharistiam Anachoretis, aliisque Viris Eremitis inclusis pro Dei amore in desertis, ac sylvis, incognitis hominibus, mihi artidet ex sequentibus. Primò ex Vita S. Onuphrii Confessoris; de quo ita ait Mar-45 tyrol. Roman. die 21. Junii: In Aegypto Sancti Onuphrii Anachorete, qui in vasta Eremo sexaginta annis vitam religiose peregit; & magnis virtutibus, ac meritis clarus migravit in Cælum, ejus insignia gesta Paphnutius Abbas conscripsit. Modò idem Abbas Paphnutius testatur, quod singulis Dominicis diebus Christi Corpore, & Sanguine Onuphrius cum sociis ab Angelis mirabiliter reficiebatur, ut referunt concorditer P. Alexius Segalla; ac Ribadeneira in Vita ejusdem S. Onuphrii, necnon Joan. Bonifacius Bagatta d. tom. 2. lib. 3. cap. 3. §. 4. num. 1. Secundo, quia Sacram Eucharistiam non semel ministratam per Sanctos Angelos, Sancto Marco Monacho in Aegypto scribit Bollandus tom. 1. Mense Martio, & ex eo Hieronym. à Basilica Petri eodem Mense Martio pag. 82. ac etiam P. Bagatta d. §. 4. num. 2. his verbis: Tanta erat S. Marco Monacho in Aegypto cordis mundicie, ut Presbyter sancte juraret, se nunquam Marco Monacho præbuisse Sanctissimam Eucharistiam Sacramentum; sed cum ad eum accederet, ab Angelo ei fuisse præcedum. Tertio, quia scriptum legimus in Chronicis Sancti Francisci part. 2. lib. 2. cap. 2. num. 6. quod Sancto Bonaventuræ ex nimio timore abstinenti à Sacra Communione, eam Angelus præbuerit. Quarto, ob testimonium de consimili administratione Sacræ Eucharistiae per sanctos Angelos factæ Majoris Episcopo Dolensi, de quo Petrus de Natalib. in Catalogo Sanctorum, lib. 9. cap. 103. & P. Bagatta d. §. 4. num. 7. ita testantur: Majoris Episcopus Dolensis, dum relicta Dolensi Ecclesia solitarius degeret, de sui obitus imminente die fuit ab Angelo eductus: post dies autem paucos ipsemet Angelus tradidit ei (tamquam mortuò) Viaticum Corporis Domini. Quintò: Quia idem privilegium concessum fuit Sancto Ludano; siquidem, ut habet Bollandus in actis Sanctorum Februarii tom. 2. Cum Sanctus Ludanus Scotorum Ducis Filius, contempto sæculo ad sancta loca peregrinaretur, tandem ad quandam ulam, seu arborem pervenit in Diocesi Argentinenfium, in banno Villæ Northus, secus fluvium, qui de superioribus partibus currens nominatur Ylfa; à quo nuncupatur tota Alsatia. Sub cujus arboris umbra extra villam quiescere desiderabat; ibique quiescens, divinitus sibi revelatum est, instare ultimum suum diem. Evigilans autem rogavit Dominum, ut prius non discederet, quàm Corpus Christi sumeret. Tunc veniens Angelus, ipsum communicavit; quo facto dixit: In manus tuas Domine commendo spiritum meum, & expiravit. Idem legitur apud Hieronym. à Basilica Petri d. Mense Februar. tom. 2. & Bagattam dicto §. 4. num. 8. Sextò, quia Divina clementia voluit Angelorum ministerio dari sacrum Viaticum Sancto Raymundo Nonnato, de quo ita Breviatium Romanum 31. Augusti lect. 6. Roman. sero pergens, statim ac Cardonam pervenit, extremo morbo confectus, Ecclesiasticis Sacramentis muniti summis precibus postulavit. Cumque morbus ingravesceret, & Sacerdos diutius tardaret, Angelorum ministerio, sub specie Religiosorum sui Ordinis apparentium, salutari Viatico refectus fuit. Septimò, nam & Ven. Sotori Dominica à Paradiso Fun-

Fundatrici Monialium Sanctæ Crucis Florentiæ Sacram Synaxim administrandam Sancti Angeli portaverunt, teste *F. Ignatio à Nente in ejus Vita lib. 2. cap. 48.* Octavo aditipulatur *Bernardus Marci*, apud Raynaldum de Beata Dorothea, quas in Prussia Anno 1399. ad Cœlos evolavit; cum enim esset morti proxima, & non esset qui eam Sacro Viatico reficeret, sanctis Angelis inservientibus, ipsemet Salvator noster *JESUS CHRISTUS*, cum Sanctissima Matre sua apparuit, & eam ipsemet proprio Corpore sub speciebus panis communicavit. Nono: Quia Beata Veronicæ datam fuisse Sanctam Communionem à Sanctis Angelis legitur in *Prato Florid. 2. part. lib. 5. cap. 31.* & apud Hieronymum à Basilica Petri die 13. Januarii. Decimo: Idem privilegium Beato Stanislao Koskæ eunti Dilingam, fuisse concessum scribit Pater Daniel Bartol. in *ejus Vita lib. 1. cap. 8.* Undecimo: Sacra Communionem resectas pariter à SS. Angelis B. Agnetem de Monre Politiano die 20. Aprilis. Ven. Matrem Passivam Senensem die 11. Maji. Ven. Metildem Monialem Benedictinam à Bavaria die 6. Julii. Ven. Beatricem Ordinis Minimorum Sancti Francisci de Paula die 27. Augusti. Aliam devotam Anonymam die 26. Septembris, vulgari sermone, sed non vulgari stylo, scribit *P. Franc. Marchesius Congreg. Orator. Romæ in Diario Sanctissimi Sacramenti.* Tandem etiam Sorori Pudentianæ Zanoniæ Virgini Bononiensi, ex Tercio Ordine Sancti Francisci hujusmodi gratia fuit celsitus concessa, ut pluries à Sanctis Angelis Sacra Eucharistia ei præberetur, ut in ejus Vita narrat *Joannes Andreas Rota Canonicus Bononiensis ac Monialium ibidem Vicarius cap. 11. & cap. 18.* Igitur sicut sæpè Divina clementia voluit famulis, ac famulabus suis dilectis per manus sanctorum Angelorum Venerabile Sacramentum porrigere; cur detrectabimus credere, eadem gratia dignatos fuisse sanctos illos Eremitas, qui in Anachoreti excessum penitentiam, ac cœlestium contemplationem, puram mentem, diu erant prosequuti?

Sed non est omittendum, Anachoretas inclusos omnino incognitos cuicunque alteri homini

post quintum sæculum à mundi Redemptione vix reperiri; quandoquidem sequentibus annis ferè omnes in sylvis, cavernisque permanentes aliquem habebant fidelem amicum, à quo necessaria pro sustentatione corporis recipiebant, & per consequens etiam spiritualia sibi dabantur. Testis sit auctor Vitæ Matris Sancti Hervæi Eremitæ Britanni, de qua supra num. 30. ex *Gonono in Vitis PP. Occiden. pag. 115.* ad quam in abscondita sylva reclusam ductus fuit ipse Hervæus filius à *Ulpredo viro optimo*, qui locum, in quo Mater ejus morabatur, sciebat. Et ibidem post mortem Matris Anachoretam faciente eodem S. Hervæo, tempore sui obitus habuit nuncium, qui & Episcopum, & ejus conjunctos monitos faceret; unde subdit Auctor prædictus, quod fuit *Visitatus à parentibus, & Episcopo*, qui ei sacrosanctum Eucharistia tradidit Sacramentum; deinde migravit ad Dominum Anno 580. Et ex his resoluta sit prima pars Quæsti de Communione Eremitarum, & Inclutorum in desertis.

Cæterum, quia jampridem Quæsitum hoc proposui *R. P. D. Hieronymo à Basilica Petri*, olim hic Paravii Aulico Nobili Eminentiss. ac Reverendiss. Domini mei Cardinalis Barbadici, nunc autem Sacerdoti Congregationis Oratorii Neapolitani, Viro pietate, lectione ac intelligentia Historiæ Sacræ conspicuo; meique amicissimo; à quo fuit communicatum Illustrissimo, ac Reverendissimo Domino Pompeo Sarnellio Episcopo Vigiliarum, cujus eximie bonitatis, & eruditionis radii coruscant in *Speculo Cleri secularis Opere tripartito*, per eundem Prælatum in lucem edito Neapoli Anno 1678. Et in ejus Epistolis Ecclesiasticis typis impressis, pariter Neapoli Anno 1686. à quo quidem Illustrissimo, ac Reverendissimo Episcopo Sarnellio data fuit pro responso sequens Epistola; placuit mihi eam hic inferere in obsequium Auctoris Literatissimi; ejusque egregiæ doctrinæ, qua magis, magisque elucidatur Quæsitum ipsum de Anachoretarum Communionem.

Tenor Epistolæ responsivæ ad prædictum R. P. D. Hieronymum à Basilica Petri talis est:



MOLTO REVERENDO PADRE,

Signor mio,

PADRONE OSSERVANDISSIMO.

O Padre Bascapè, mio Signore, da quando in quà le Nottole sono divenute Ucelli di luce? Da quando in quà le Aquile dimandano lumi à Pipistrelli? Che mi creda qualche cosa Monsignore Chericato, che non mi conosce, vada bene; mà ella, che mi conosce: Or viaio vò credere, che trattandosi de Romiti, debba sentirsi il parere de gl'humili, Ubbidisco. E adunque il dubbio. Come tanti Romiti Santi siano stati 40, 50, 64, e più Anni nelle Spelonche senza i Sacramenti della Confessione, e Comunione; mentre l'uso di questi è de Jure Divino; per quanto il commune de Theologi asserisce; e San Marco Romito, siccome scrivono più Autori, che visse 130. Anni, e di essi ne passò 95. in una Spelonca, senza havere nè visto, nè parlato con persona alcuna, solo hebbe nella morte un'altro Romito non Sacerdote; accioche intendesse, e divulgasse la di lui santa Vita, e gli assistesse alla morte.

Per ripigliare la cosa, come si suole dire, ab ovo: concedo in prima essere verissimo, che la Confessione, e Comunione sia de Jure Divino; ma standosi in questo Jus Divino, in quanto alla Confessione, esso obbliga sol quelli, che hanno coscienza di peccato mortale; e quest'obbligo preme almeno nell'articolo, d' nel probabile pericolo della morte. Di nuovo l'obbligo di confessarsi è di due maniere, *vel in Re, vel in Voto*. In Re, essendovi l'opportunità del Sacerdote; in Voto, non essendovi questa opportunità, cioè à dire facendo atto di contrizione, col desiderio di confessarsi sacramentalmente, se potesse. Mà chi è, che dirà, che quei Romiti, i quali si ritiravano ne i Deserti, dove sapevano non poter havere commodità di Confessore, non si confessassero prima, e ben lavassero la coscienza loro; come habbiamo, che fece Santa Maria Egiziaca nella Chiesa di San Giovanni, dove si Confessò, e Comunicò prima di andare al Deserto: Mà mi si opporrà. E se stando ivi havessero di nuovo mortalmente peccato? Rispondo essere piene le vite de Padri de gl'empj, che i più rimoti Solitarii, occorrendo, che più rimoti Solitarii, occorrendo, che soccombessero alle tentationi, lasciavano il Deserto, ed andavano a' Conventi per confessarsi. E quando mai non havessero avuto Sacerdote; bastava come, hò detto, la Contrizione col Voto della sacramentale Confessione, e quella tanta penitenza ammirabile, anzi che imitabile, che vi aggiungevano. Hò detto, stando nel Jus Divino; perciocchè il Precetto della Chiesa di Confessarsi almeno una volta all'Anno, è da Innocenzo Terzo in quà dell'Anno 1215. Ma posto, che nel tempo di quei Romiti fosse stato altro precetto; pure i precetti della Chiesa obligano quei, che ponno; e non quei, che sono impotenti, come

erano quei Romiti da divina ispirazione, anzi da aperte rivelazioni indotti à quel genere di vita solitaria.

Altrettanto dico della Comunione, essendo ella de Jure Divino necessaria di necessità di mezzo, *vel in Re, vel in Voto*. In Re, se ve n'è l'opportunità; ed in Voto, se non si può altrimenti. La dottrina di S. Thomaso è chiarissima nella p. 3. q. 80. art. 11. in Corp. dove così dice: *Duplex est modus percipiendi hoc Sacramentum, scilicet Spiritualis, & Sacramentalis. Manifestum est autem quod omnes tenentur saltem spiritualiter manducare; quia hoc est Christus incorporari. Spiritualis autem manducatio includit votum, seu desiderium percipiendi hoc Sacramentum; & ideo sine voto percipiendi hoc Sacramentum, non potest homini esse salus. Frustra autem esset votum, nisi impleteretur, quando opportunitas adesset.* Ecco adunque come quei Santi Romiti si Comunicavano spiritualmente, e senza dubbio si farebbero Comunicati anche sacramentalmente, quando ne havessero havuto l'opportunità: Siccome detestabili erano quelli, che havendone l'opportunità; ciò non ostante più, e più Anni, se ne stavano senza Comunicarsi; onde Innocenzo III. nel cap. *Omnis utriusque sexus. De Penit. & Remiss.* notissimo, ordinò, che tutti i Fedeli giunti à gl'anni della discrezione fossero tenuti di Comunicarsi sacramentalmente almeno una volta all'Anno. Quanta fame ne havessero quei Santi Romiti appare dalla vita di Santa Maria Egiziaca, che per 47. Anni essendosi Comunicata spiritualmente, si raccomandò all'Abbate Zosimo, che la Comunicasse sacramentalmente prima di morire, siccome ottenne.

Ed io voglio credere, che tutti quei Santi Romiti, che vissero assai lungi da' Monasterii, solitari, ed ignoti, mà per Divina rivelazione scoperti ad altri Monaci, questi ancorche non Sacerdoti, mà Laici Religiosi portassero loro la Santissima Eucharistia; il che s'intenda per quelle parole di benedizioni, e di azzioni di grazie, che facevano insieme.

Che Religiosi non Sacerdoti potessero allora portare loro la Santissima Eucharistia, è cosa notissima nelle Storie Ecclesiastiche; perciocchè essendosi introdotto nel tempo delle persecuzioni, che non potendosi i Cristiani riunare spesso insieme, su lor conceduto; che, perche fossero sempre disposti, e prestì al martirio, quando intervenissero alla Messa, non pure Comunicassero; mà eziandio portassero a casa delle Particole, che conservare con molta riverenza prendevano digiuni ogni mattina per tempo. Di questo uso fa menzione S. Basilio, scrivendo ad Caesariam Patritiam; mentre dice, che gli stessi Laici d'Alexandria, e d'Egitto, per la maggiore parte conservavano la Comunione nelle proprie case; ed oltre S. Basilio moltissimi

de

de gl'antichi Padri fanno di ciò chiara testimonianza: ed a' di nostri, rapporta il Padre Segneri nel Christiano Istruito, fu ciò concesso dal Romano Pontefice alla Reina Maria Stuarda, desiderosa di potere colla Santissima Eucharistia stare più munita alla morte, che poi sostenne con tanta gloria della vera Religione Cristiana, e scorno della contraria.

Notissimo per gli tempi andati è il fatto di Serapione presso il Cardinale Baronio. Anno 255. num. 33. il quale non potendo essere sciolto da' legami del corpo senza la Santissima Comunione, mandò un fanciullo suo nipote dal Prete, che quegli venisse a comunicarlo; ma trovandosi il Prete ancora malato; questi mandò la Particella per quel garzoncello medesimo; ordinandogli ciò, che aveva a fare; ed il garzoncello comunicò il Vecchio moribondo, che ricevuta la Santissima Comunione rese l'Anima a Dio.

Che poi i Monaci commoranti nel Deserto, dove non vi havea Sacerdote, tenendovi la Comunione, la pigliavano per sè, lo riferisce San Basilio nella Pistola sopracitata; e quest'uso dice il Cardinale Baronio (Anno 57.) durò nella Chiesa Occidentale fino ad Orsinda Papa il meno, quando fu tolta via dal Concilio Cefaragustano in Ispagna. Ma nella Chiesa Orientale continuò dopo i predetti tempi; siccome fan manifesto molti Esempi del Prato Spirituale; nel quale parimente si hà, che la Santissima Eucharistia conservavasi da un anno all'altro; cosa tanto praticata da' Greci; che fu proibita da Papa Clemente VIII. nella Costituzione, che comincia: *Sanctissimus &c.* la 34.

Sicche havendo i Monaci, benchè all' hora Laici, la SS. Eucharistia, e potendola essi portare, anzi portandola seco ne' viaggi (come S. Ambrosio contra di Satiro suo fratello; e S. Gregorio di Massimiano Vescovo di Seragula, e che tale usanza in qualche luogo durasse fino a' giorni di Alessandro Terzo, lo fan palese gl'atti di S. Lorenzo Vescovo Dubblinense) non resta da dubitare, che mandati essi da Dio a visitare Monaci Solitari, non portassero seco la SS. Comunione; sapendo essere mandati, quando coloro erano vicini alla morte; come fu mandato Sant' Antonio Abbate a San Paolo primo Romita; il Monaco a San Marco Romita rapportato, ed altri molti, come nelle Vite de SS. Padri.

Mi si replicherà, che ciò non si trovi scritto. Adunque nè meno Sant' Antonio Abbate, nè tanti altri, che morirono ò frà Monaci, ò nelle Città, nè si confessarono, nè si comunicarono, perchè nelle Vite loro non è scritto? Questa sarebbe una conseguenza molto assurda; sapendosi, che chi scrisse le vite loro, badò a narrarne gl'esempi, e documenti, non tutte le minuzie, che si debbono supporre. E chi legge la vita della gran Peccatrice, e poi massima Penitente S. Maria Egiziaca, crederà, che se ne andasse al deserto, senza nè men confessarsi, prima di ritirarsi alla Penitenza? E pur è vero, che ciò non sarebbe scritto, se nel fine del racconto della sua vita, coll'occasione di dimandare la Comunione, non haveffe detto, essere

passati 47. anni, che non si era comunicata sacramentalmente, da che si comunicò prima di entrare nel deserto nella Chiesa di S. Gio: Battista, presso il Giordano. Diremo dunque, che si comunicò senza confessarsi, perchè non è scritto? Sarebbero queste inezzie. Sicche io tengo per indubitato, che quei Santi Romiti, che furono visitati nel fine della loro Vita, riceversero tutti il Santissimo Viatico; e quei che non furono visitati, si comunicassero Spiritualmente.

Mà come sono io sciocco, portando nottole in Atene? P. Bascapè mio Signore, io hò risposto per ubbidire; benchè io stia qui senza libri; se mi fossi trovato in Benevento presso la Biblioteca del mio Signore Cardinale Arcivescovo Orsini, havei potuto dir qualche cosa più a proposito. Supplica hora la vastissima erudizione di V. S. che ella non può nascondere, mentre i suoi libri dati alle Stampe la palesano. E raccomandandomi alle sue Sante Orazioni, a V. S. bacio divotamente la mano.

Di V. S. mio Signore 20. Giugno 1693.

Divotiss. servitore obligatiss.

Pompeo Vescovo di Biseglia.

Restat pro complemento totius Quæstus, ut uno verbo resolvatur ejus pars ultima; videlicet, quomodo iudicandum Anachoretæ adimpleant Præceptum de audienda Missa festis diebus? Circa quod sciendum est hoc præceptum emanasse à Sanctis Apostolis, & semper fuisse in Ecclesia custoditum, ut habetur in cap. Omnes fideles 62. & in cap. Missas 64. De Consecr. dist. 1. de quorum Canonum intelligentia videndus Azorius tom. 1. lib. 7. cap. 1. quas. 1. ubi refert opinionem aliquorum opinantium, præceptum de audienda Missa diebus festis obligasse tantummodò sæculares, ut in d. cap. Missas. Sed Anachoretæ, & Eremitæ non erant sæculares; eò, quod sunt personæ Ecclesiasticæ. Carolus de Grassis de effect. Cleric. effect. 1. num. 106. Riciullus Lucubrat. Ecclesiastic. lib. 3. cap. 3. num. 1. ubi text. & DD. Ergo iudicandum non afficiebatur dicto præcepto. Porro hæc ratio non stringit, quia cap. Omnes fideles, comprehendit tam sæculares, quam Ecclesiasticos, circa obligationem audiendi Missam festis diebus; idcirco, subdit ibidem Azorius: Veteres illi Monachi Anachoretæ, cum divini obsequii causa in solitudinem sese conferrent, putabant, se huiusmodi more, & consuetudine minime teneri; cum procul ab hominum frequentia remoti, à sacris adibus abessent. Dicendum est igitur, quod bona fides excusabat prædictos illos Eremitas ab hac obligatione audiendi Missam: ut notat etiam Gobat. in Theolog. Experim. tract. 5. n. 519. Mastrius in Theolog. Morali disp. 12. num. 38. in fine: & Diana Coordinatus tom. 2. tract. 3. resol. 6. & 7. ubi agit de distantia ab Ecclesia, ut distans non teneatur audire Missam; quarum resolutio prima habetur part. 10. tract. 11. resol. 8. Altera verò d. part. 10. tract. 15. resol. 35.

Et ex his finis impositus sit præsentis tractatus de Venerabili Eucharistiæ Sacramento, & Decisionibus Casuum anni 1689. In quibus quæcunque dixi Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Magisterio, & correctioni subiecta semper esse volo, ac profiteor.

